

etiam ad illud, nisi specialiter a Sede Apostolica dispensentur. Vide *ibid.*, n. 3.

(173. Regulares a religione eiectionis, et in sæculo remanentes tenentur ad vota essentialia religionis. Vide verb. *ЕЛСЕРЕ, ЕЈЕСТИ*, n. 49.

(174. Advertendum tamen est, quod licet in eiectionis perseveret plena obligatio castitatis, obligatio tamen paupertatis, et obedientiæ suspenditur quoad executionem et observantiam multorum, juxta capacitatem sui status. Vide *ibid.*, n. 50.

(175. Similiter obligatio aliorum votorum supra tria essentialia in aliquibus religionibus emitti solitorum, aliarumque regularium observantiarum proprii instituti, etiam sub mortali præceptum, suspenditur quoad illa, quæ pugnant cum statu, in quo reperiuntur, et perseverat, quoad illa, quæ compatiantur cum eorum statu. Vide *ibid.*, n. 51.

(176. Etiam contraria opinio quoad hæc est probabilis. Vide *ibid.*, n. 52.

Nota Rom. theol.

Nil probabilis in hac opinione apparet, cum prior opinio omnino vera videatur.

Responsio auctoris.

Licet hanc opinionem non sequar ego, cum sim pro contraria sententia, ut apparet ex conclusione numero immediate antecedenti tradita; subjungo solum, quod dicta opinio sit etiam probabilis, ex quo illam non spernendis rationibus defendant magis nominis doctores, Sanchez, Diana, Barbosa, Layman, Lezana, Navarrus, et alii. * Ex quo tamen opinio aliqua a nonnullis doctoribus ejus generis, quales sunt laudati, etiam non spernendis rationibus defendatur, non ideo vere probabilis est, si contraria gravioribus auctoritatis rationibus momentis nitatur *.

(177. Alia ad rem. Vide verb. *LEGATUM*, verb. *MONIALES*, art. 2; verb. *REGULARIS PROFESSIO*, verb. *REGULARES*.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt votorum obligationis cessationem.

Præstat sequentia evolvere.

(1. Votum obligatio cessat, seu tollitur generatim loquendo quatuor præcipue modis. Videlicet per extinctionem, per irritationem, per dispensationem et per commutationem. Sic in re communis doctorum. Votum obligatio cessat, et expirat, seu tollitur per extinctionem. (2. Primo, quando cessat causa finalis, et principalis voti, cessante enim fine principali voti, cessat ipsius voti obligatio: com. arg. cap. *Cum cessante* 60, De appellationibus. Unde si quis v. g. voveat dare quotidie Francisco pauperi obolum pro sublevanda ejus inopia, et Franciscus interim evadat dives, aut non amplius egeat tali obolo, cessat, seu expirat dictum votum, cum cesset finis totalis dicti voti. Item si quis voveat Lauretanam peregrinationem ad obtinendam valetudinem sui filii, et interim filius moriatur, extinguuntur penitus ejus votum, et sic de similibus.

(3. Secundo, cessat et extinguuntur totaliter obligatio voti, quando non impletur conditio apposita. *Communis*. Unde qui vovit v. g. jejunium, eleemosynam, et hujusmodi, si talem dignitatem, si tale beneficium obtinuerit, hoc non obtento, ad votum non tenetur: actus enim sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum; arg. § *Sub conditione* 4, instituit. De verbor. obligat., et l. *Unica*, § *Sin autem*, cod. De caducitat. tollend. Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis, l. *Is cui*, ff. De actionibus. et obligationibus, l. *Legata sub conditione*, ff. De conditionibus. et demonstrat.; et ratio est, quia actus agentium non operantur ultra intentionem et voluntatem eorum, l. *Omnis* 19, ff. De rebus creditis, Si certum petatur, et De conditione.

(4. Tertio, cessat et extinguuntur obligatio voti quando materia ex possibili fit impossibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens, aut majoris boni impeditiva: *Communis*, per text. in l. *Pluribus* 140, § 2, ff. De verbor. obligationibus, ibi: « Et si placeat extinguuntur obligationem, si in eum casum inciderit, a quo incipere non potest; » et l. *Impossibile* 183, ff. De regul. Jur., ibi: « Impossibile nulla est obligatio, » et cap. *Nemo potest* 6, De regul. Jur. in 6, ibi: « Nemo potest ad impossibilia obligari. » De jure enim illud tantum possibile, et fieri posse censetur, quod licite fieri potest, can. *Fraternitatis* 13, caus. 22, quæst. 2, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Quod potest*. (5. Imo votum conceptum de re impossibili, aut illicita non obligat, etiamsi postea fiat possibile, aut licita, textu expresso in l. *Quod initio* 29, De regul. juris, cap. *Non firmatur* 18, De regul. juris in 6, ibi: « Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. »

(6. Quarto, cessat et extinguuntur obligatio, quando postea tam notabilis rerum mutatio accidit, vel specialis, vel inopinatus casus occurrit, ut rationabiliter præsumi possit voventis intentionem, ad ejusmodi eventum, sive casum specialem non se extendisse, sed excepturum fuisse, si in mentem venisset aut de eo interrogatus fuisset. Actus enim agentium non operantur ultra intentionem et voluntatem eorum; l. *Non omnis* 13, ff. De rebus creditis, Si certum petatur, et De conditione. Sic *Communis* doctorum, arg. cap. *In generali concessione* 71, De regul. juris, in 6, leg. *Alumnos* 1, c. *Quæ res pignori obligari possint*, cum similibus. Unde qui vovit certa jejunia, etc. superveniente postea gravi et incurabili infirmitate, senectute, etc. non obligatur ad impletionem voti; quia sicuti gravis et incurabilis infirmitas, et senectus excusat ab obligatione præcepti ecclesiastici de jejunio, ita etiam excusat ab observatione jejunii promissi. Item qui vovit magnam eleemosynam, ecclesiam, seu altare ædificare, superveniente postea inopinata gravi depauperatione, non obligatur ad votum durante tali paupertate, cum adimpletio voti pro

tunc sit moraliter impossibilis; obligaretur autem ad dictum votum, si postea ad meliorem fortunam rediret, cap. *Quod super* 8, § *Unde credimus distinguendum*. De voto. Et id etiam in civilibus debitis observandum esse expresse statuitur in § *Ultimo Instit.*, De actionibus, l. *Is qui* 4, et l. *Qui bonis suis* 6, ff. De cessione bonorum, cum similibus.

(7. Quinto, cessat et extinguuntur obligatio voti, quando est jam elapsum tempus, quod vovens determinavit ob specialem devotionem, seu circumstantiam talis temporis, et sic illud determinavit causa obligationis restringendæ et finiendæ. Vide supra, art. 1, n. 57. Secus autem quando determinavit tempus, non intuitu ad ipsum tempus, nec ob specialem devotionem, seu circumstantiam talis temporis, sed solum ratione ipsius voti adimplendi. Vide *ibid.*, n. 58.

(8. Sexto, cessat et extinguuntur ipso jure omne votum sive reale, sive personale, sive in sæculo, sive in novitiatu emissum etiam reservatum Summo Pontifici, eo ipso quod quis in religione approbata solemnem professionem emittit, quamvis vovens nullam habeat tunc intentionem illud commutandi, et de hoc nihil penitus cogitet. Habetur clare ex cap. *Scriptura* 4, De voto, et sic tenent Sanchez, lib. v. *Moral.*, cap. 5, n. 38 et seq.; Felix Potest., tom. 1, p. n. 1920 et seq.; Pirrhing, lib. iii. *Decretal.*, tit. 34, n. 27 et seq. et ipso teste, alii communiter.

(9. Non extinguuntur tamen per professionem religiosas vota realia a tertio acceptata, quia acceptatio facit ea transire in contractum, per quem jus parti acquiritur. Unde non est Deo gratum obsequium, si quid ei promittitur cum præjudicio juris alterius, seu injuria erga alium, ob quam causam talia vota neque per communicationem, vel dispensationem ordinarie relaxari possunt. *Communis*.

(10. Irritatio voti (quæ est secundus modus, per quem tollitur obligatio votorum) est ablatio obligationis ejusdem facta per personam facultatem dominativam in voventem vel in materiam voti habentem. Est in re communis.

(11. Irritatio differt a dispensatione, quia irritatio est ablatio obligationis voti facta nomine proprio per potestatem dominativam; dispensatio vero est ablatio obligationis voti facta nomine alieno per potestatem jurisdictionis, in quantum scilicet nomine Dei, qui potestatem jurisdictionis dat quibusdam personis ecclesiasticis ad tollendam cum justa causa voti obligationem, ea jurisdictione tales personæ ad id utuntur. Item quia irritatio fieri potest etiam a persona laicali, dispensatio vero solum a persona ecclesiastica. Item quia irritatio sine justa causa est quidem illicita, sed tamen valida, cum fiat ratione domini, et nomine proprio; vota enim emittuntur cum tacita conditione consensus personæ habentis in voventem, aut in rem votam dominium; dispensatio autem sine justa causa, nedum est illicita, sed etiam invalida, cum fiat solum ratione jurisdictionis, et nomine Dei,

qui non approbat solutionem voti sine justa causa factam. Vide infra num. 59.

(12. Irritatio et dispensatio differunt a commutatione, quia irritatio et dispensatio pura et propria tollunt penitus omnem obligationem indirecte, vel directe profectam ex voto; commutatio vero non tollit omnem obligationem, sed relinquit obligationem faciendi aliquid loco illius, quod remissum fuit, ut patet ex infra dicendis de commutatione. Dicitur autem notanter dispensatio pura et propria ad distinctionem dispensationum matrimonialium, aliarumque similibus, quæ vel a dataria, aut a penitentiaria Romana solent expediri, quia istæ non sunt puræ dispensationes, sed mixtæ cum commutatione, et sæpe valde onerosa, ut eas legenti patet.

(13. Irritatio est duplex, directa, et indirecta. Irritatio directa est illa, quæ fit per personam habentem potestatem dominativam in voluntatem voventis; irritatio vero indirecta est illa, quæ fit per personam habentem potestatem, seu jurisdictionem non in voluntatem voventis, sed solum in materiam voti. Sic in re communis doctorum.

(14. Unde vota directe irritare, est, personam habentem potestatem dominativam in voluntatem voventis velle, et pronuntiare ut illius vota nulla taliter sint, ut nullo unquam casu eorum obligatio postea reviviscat, quia sunt extincta in radice. Irritare autem vota indirecte nihil aliud est, quam personam habentem potestatem in materiam voti, ejus obligationem suspendere (in quantum suo juri præjudicatur) donec desinat ipse præjudicium afferre. Nemo enim potest alteri promittere aliquid in præjudicium tertii. Unde vota indirecte tantum irritata reviviscunt, quando desinunt præjudicium afferre: sicque eorum obligatio non est in perpetuum ablata, sed solum ad tempus suspensa. Vide infra, n. 56.

(15. Vota directe irritare possunt omnes, et soli illi, qui habent potestatem dominativam in voluntatem voventium: *Communis*, arg. cap. *Puella* 2, caus. 10, q. 2; cap. *Mulier* 4, caus. 33, q. 2; cap. *Manifestum est* 11, caus. 33, q. 5; cap. *Si quis* 2, De regularibus, cum similibus.

(16. Hinc pater potest irritare directe omnia vota etiam castitatis, et religionis a filiis impuberibus emissa; *Communis*, per text. in cap. xxx *Numer.*, cap. *Puella* 2, caus. 10, q. 2, ibi: « Puella si ante 12 annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpsit, possunt statim parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum et diem dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt; » c. *Mulier* 14, caus. 32, q. 2; c. *Manifestum est* 11, caus. 33, q. 5, c. *Si quis* 2, De regularibus, cum similibus. Et ratio est, quia filii impuberes in illa tenera ætate ob rationis, iudicii et discretionis imbecillitatem, patris voluntate et auctoritate de ipso jure naturæ regendi sunt, adeoque in omnibus eorum votis, juramentis, pactis, ac promissionibus quibuscunque semper

intelligenda est tacita hæc conditio : Si pater consentiat, aut non contradicat.

Nota Romani theologi.

* En verba, quæ habentur caus. 20, quæst. 2, can. *Puella* : « Puella si ante 12 ætatis annos sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum, et diem dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt. »

Responsio auctoris.

Poterat theologus totum integrum rescribere illum can. *Puella*, prosequendo ut ibi, nempe : « Si vero in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi. » Ubi ly *in fortiori ætate* explicat Glossa, id est *post annos pubertatis*. Cum enim ego in mea conclusione loquar de votis emissis a filiis impuberibus, et pubertas non eodem tempore incipiat in feminis, et in masculis; in illis scilicet incipiendo ut plurimum post annos duodecim completos, et in istis solummodo post annos quatuordecim itidem completos, per text. expressum in leg. ultima, cod. *Quando tutores esse desinant*, ibi : « Jubemus quemadmodum feminæ post impletos 12 annos omnimode pubescere judicentur, et ita mares post excessum 14 annorum puberes existimentur. » Erat etiam referendus reliquis omissis canonis textus, ut sic lectores facilius perciperent hanc differentiam, quod licet parentes possint irritare vota a filiabus emissa ante annos 12 completos, non possunt tamen irritare vota filiorum, nisi fuerint ab ipsis emissa ante annos 14 completos, cum solum in ipsis tali ætate incipiat ordinariæ pubertas, et ante ipsos 14 annos completos censeantur adhuc impuberes diversimode ac feminæ, quæ solum ante annos 12 completos censentur ordinariæ impuberes, et statim post ipsos habentur ut puberes, ubi filii, ut supra non habentur ut puberes, nisi post 14 annos completos.

17. Pater potest irritare directe quodcumque votum filii impuberis in ipsa impubertate editum, non solum durante impubertate, sed etiam postea quocumque tempore pubertatis. Dummodo filius factus pubes illud votum non confirmaverit, aut ratificaverit : Reiffenst., lib. III *Decret.*, tit. 34, num. 13; Felix Potest., tom. I, part. II, n. 2986; Sporer, tract. 3, in 2 *præcept. Decalog.*, cap. 2, n. 21, testans de communi cum Navarr., Lessio, Suarez, Sanchez, Gobat, et aliis contra Sotum, et paucos alios. Et ratio est, quia potestas irritativa fundatur in imperfectione ætatis, ac judicii, sub qua fuit votum ab initio emissum, adeoque cum dictum votum ab initio fuerit infirmum, et irritabile, manet tale donec novam aliam firmitatem per confirmationem, seu ratificationem tempore pubertatis acquirat, argum. cap. *Non firmatur* 18, De regulis juris in 6, ibi : « Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit. »

18. Ut autem confirmatio, seu ratificatio voti in pubertate facta novam et veram

obligationem inducat, ita ut a patre amplius irritari non possit, tria requiruntur : primum, ut pubes ratificans, seu confirmans votum vere sciat, votum prius a se in impubertate editum, infirmum fuisse, debile, ac irritabile; secundum, ut pubes velit de novo se obligare firmiter perinde ac si nunquam se obligasset; tertium, ut pubes ita dispositus voce, vel saltem mente votum infirmum ac debile repetat, aut certe approbet : alioquin nisi hæc tria concurrant, manebit præteritum ejus votum prorsus eo modo, quo antea erat, et ipsa confirmatio, seu ratificatio, dicetur sola ejusdem præteriti voti renovatio, seu repetitio, quæ novam obligationem non inducit, sed votum, uti erat prius, relinquit; cum similis renovatio, seu repetitio nihil aliud sit, quam prius vinculum, uti erat, approbare, et non de novo inducere, et suscipere : Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 14 et 15; Sporer, *loc. cit.*, num. 22; Tambur., lib. III, cap. 18, num. 15, *De obligatione voti*; Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 1984, testans de communi, Gobat, *De votis*, cap. 6, num. 176, ubi assertit ad id singularem casum merito ibi legendum.

19. Si quis vero immemor sui voti infirmi, debilis, et irritabilis, verb. grat. castitatis perpetuæ in impubertate editi, votum castitatis perpetuæ post pubertatem emittat, tunc tale votum erit omnino firmum, et reservatum, nec a patre irritari poterit; quia est votum omnino a priori distinctum, et independens ab illo, cum pro tempore, quo vovens emittit posterius, nullimode recedatur prioris. *Communis*.

20. In defectu patris vota filii impuberis, seu pupilli potest directe irritare tutor, quia tutor respectu pupilli loco patris succedit. *Communis*. Et in defectu patris et tutoris vota filii impuberis potest directe irritare mater, etiamsi tutrix non sit, quia in defectu patris, tutoris ac ascendentium ad matrem ipso jure naturæ hæc cura spectat, ut filium loco patris gubernet, eique loco tutoris sit, quando alius non est, qui imbecillitati impuberis consulat : Suar., *De voto*, lib. VI, cap. 6, n. 22; Henno, tom. I, tract. in *Decalog.*, disp. 2, q. 5, conclus. 2, resolut. 8; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 7, n. 10; Sanchez, lib. V *Moral.*, cap. 35, n. 81; Busemb., lib. III, part. I, cap. 3, dub. 6, art. 1, n. 1; Sporer, *loc. cit.*, n. 24, et alii: quamvis tamen plures alii non improbabiler velint, non posse matrem directe irritare vota filii impuberis, nisi sit tutrix; unde recte ait Henno, *l. c.*, quod mater tutius ageret, si tunc postularet a iudice designari filiorum tutrix.

* Inter eos qui negant a matre vota filii impuberis irritari posse, quorum sententiam in praxi sequendam censemus, est Antoine in tractatu *De virtute religionis*, cap. 3, quæst. 8, resp. 1, ubi addit : « Multi docent eadem vota impuberum a patre irritari posse tempore pubertatis, quia vota illa per tractum temporis non amiserunt hanc suam conditionem, nisi pater contra-

dixerit, sed semper manent subjecta patri, idque expedit ad subveniendum indiscretionem liberorum. Sed juxta varios, id jam non potest tutor; quia eo ipso, quod pupillus fit pubes, tutor fit curator, cui persona pupilli, seu minoris non committitur, sicut tutori : at pater semper manet pater. »

21, 22. Vota religiosorum professorum directe irritare possunt præter Papam superiores generales, provinciales et locales. *Communis*, per text. in cap. *Puella* 2, caus. 20, q. 2, c. *Monacho* 2, ead. caus. 20, q. 4; cap. *Mulier*, 14, caus. 32, q. 2; cap. *Manifestum est* 11, caus. 33, qu. 5; cap. *Si quis* 2, De regularib., cum similibus. Et ratio est, quia cum religiosi non habeant nec velle, nec nolle, et omnino dependeant a voluntate suorum superiorum, ut expresse habetur in cap. *Si religiosus* 27, De election. in 6, cap. *Religiosus* 2, De testamentis in 6, cap. *Religiosi* 5, De sepulturis in 6, in omnibus eorum votis, ac promissionibus quibuscunque ex communi sensu, et usu Ecclesiæ, ac interpretatione juris intelligitur semper tacita conditio : *Nisi superior contradixerit*. Unde in cit. cap. *Monacho* 2, caus. 20, qu. 4, expresse dicitur : « Monacho non licet votum vovere sine consensu abbatis sui; si autem voverit, frangendum erit. »

23. Id etiam extenditur probabiliter ad abbatissas, priorissas, seu superiorissas monialium, nam his etiam subditæ vovent obedientiam : Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 9; Sporer, *loc. cit.*, n. 16; Suarez, lib. VI *De voto*, c. 7, n. 19; Busembaum, *loc. cit.*, n. 2; Felix Potest., t. I, part. I, n. 1969, et alii plures.

24. Non possunt tamen superiores regulares irritare vota subditorum transeundi ad religionem strictiorem, quia quoad hunc transitum religiosi sunt subditi tantum Summo Pontifici, cum talis transitus sit eis etiam invitis suis superioribus de jure concessus, textu expresso in cap. *Licet* 18, De regularibus. Sic communis doctorum.

25. Nec prælatus inferior potest directe irritare votum subditi a prælato majore ratificatum : *Communis*, arg. cap. *Inferior* 4, dist. 21, cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., Clement. *Ne Romani*, De elect. Bene tamen e contra votum ex licentia superioris subordinati emissum directe irritari potest a superiore majore, cum subditus, et superior subordinatus teneatur se semper conformare voluntati superioris majoris.

26. Nec possunt superiores regulares directe irritare vota novitiorum tam personalia, quam realia, sive in ipso novitiatu, sive antea emissa. *Communis*. Et ratio est, quia novitii nondum per votum obedientiæ sunt subjecti potestati dominativæ superiorum quoad voluntatem et actiones suas, sed absolute sunt sui juris. Unde superiores possunt solum dictorum novitiorum vota irritare indirecte, vel potius suspendere, quatenus eorum gubernationi, et exercitiis probationis, pro quibus se dictis superiori-

bus sponte subjiunt, impedimento et præjudicio sunt. (27. Hinc si novitii a religione egrediantur, reviviscit obligatio dictorum suorum votorum, cum per dictam irritationem indirectam non fuerint extincta, sed solum pro interim suspensa; si vero professionem solemnem emittant, omnia eorum vota personalia, sive in sæculo, sive in novitiatu emissa penitus exstinguuntur, juxta dicta supra n. 8, et realia, sicut alia debita ad hæredes transeunt, præsertim si fuerint a tertio jam acceptata, cum acceptatio faciat ea transire in contractum, per quem jus parti acquiritur. Unde ipsa vota realia a tertio acceptata non exstinguuntur per professionem religionis, juxta dicta supra n. 6; et tenent Pirrhing, lib. IV *Decretal.*, tit. 34, n. 28; Sporer, *loc. cit.*, n. 28, et alii passim.

28. Qui habet facultatem irritandi vota directe per potestatem dominativam in ipsam personam, vel voluntatem vovens, ut superior respectu religiosi, pater respectu filii, tutor respectu pupilli, potest valide irritare dicta vota, quamvis de ejus licentia et approbatione fuerint emissa. *Communis*. Et ratio est, quia dando licentiam præsentis consensu non censentur se privasse jure suo, et potestate plene dominativa in ipsam personam, vel voluntatem vovens, cujus vota semper habent annexam conditionem : *Si superior non contradixerit*.

29. Imo qui habet facultatem irritandi vota directe per dictam potestatem dominativam in personam, vel voluntatem vovens, potest adhuc valide irritare ejus vota, quamvis licentiam vovendi concesserit cum expressa promissione non revocandi, neque irritandi dicta vota permissa, vel quomodolibet approbata, teste Sporer, *loc. cit.*, n. 30. Et ratio est, quia, ut dicit ipse Sporer, superior, vel pater, aut tutor etiam per illam promissionem non se abdicavit, imo non potuit se abdicare sua potestate, quam a natura, vel jure communi habet in religiosum, vel filium, aut pupillum, non obstante etiam illa promissione, adhuc valide irritare poterit : secus autem est dicendum ut infra patebit, de iis, qui indirecte tantum ac ratione materiæ possunt irritare vota aliorum.

30. Vota emissa de licentia antecessoris superioris, tutoris, etc., possunt directe irritari a successore habente æqualem potestatem, quamvis licentia ab antecessore concessa fuerit cum promissione non revocandi. *Communis*. Et ratio est, quia antecessor non potuit sui æqualis successoris juri præjudicare, cum par in parem non habeat imperium; cap. *Innotuit* 20, De election., § *Quamvis*, cap. *Exiit* 3, De verbor. significat. in 6, § *Cæterum sanctæ memoriæ*.

31. Vota uxoris posse directe irritari a marito, sicuti directe irritari possunt vota religiosorum a suis superioribus, vota filiorum impuberum a suis patribus, et vota pupillorum a suis tutoribus vere probabiliter defendunt Sotus, Rosella, Angles, Aca-

gonius, aliisque citatis: Sanchez, lib. iv *Moral.*, cap. 34, n. 3. Et id probabile etiam censent Bonacin., Lessius, Tambur. et alii. Et ratio est, quia voluntas uxoris videtur esse plene subjecta dominio mariti secundum Apostolum, *Ephes.*, cap. v, 22, ibi: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*; et ad rem favet lex illa *Num.*, cap. xxx, 11, ibi: *Uxor in domo viri sui cum se voto obstrinxerit, vel juramento, si audierit vir ejus, et tacuerit, nec contradixerit sponsæ, reddet quodcumque promiserat; sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea, quia maritus contradixit.*

(32. At vero communior, et probabilior est sententia contraria, quam defendunt Innocentius in c. *Scripturæ*, De voto; Suarez, lib. vi, *De voto*, cap. 4; Layman, lib. iv, tract. 4, cap. 7, n. 12; Reiffenstuel, lib. ii *De cr.*, tit. 34, n. 17; La Croix, lib. iii, part. 1, n. 493; cum S. Antonin., Navarr., Azor., Valent., Lessio, Bonac., Castropal., Illsung et aliis ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, n. 27, vocans hanc communem. Et ratio est, quia nullo jure probari potest, quod uxores simpliciter, et absolute, in omnibus subjectæ sint maritis, uti subditi religiosi suis superioribus, et filii impuberes parentibus, ac pupilli tutoribus, sed solum in his quæ concernunt et tangunt usum matrimonii, educationem proli et administrationem familiæ, uti recte observant doctores citati in hoc sensu intelligentes allatos *Scripturæ* textus pro alia sententia. Nec enim dicendum est, uxores subijci maritis jure naturali, aut gentium, quali voluntas filiorum impuberum subjecta est eorum patribus, et voluntas pupillorum suis tutoribus, quia uxores longe majorem rationis discretionem obtinent, quam impuberes; alioquin si ipsæ non essent uxorate, semper tutoribus essent subijciendæ quasi perpetuo impuberes, quod non est dicendum. Nec dicendum est ipsas sic subijci suis maritis jure positivo, cum nullum tale jus reperitur; unde mariti non possunt irritare vota uxorum directe, sed solummodo indirecte, ut infra dicitur.

(33. Domini nequeunt vota servorum irritare per se directe, sed solum indirecte, et per accidens, quatenus obligationi servitutis, et famulatus, ac juri, quod in servos habent ipsi domini, officiant et præjudicant, uti infra patebit. Sic in re communis doctorum.

(34. Papa nequit directe irritare vota Christianorum: Sanchez, lib. iv *Moral.*, cap. 24, n. 17; Castropal., d. 2, part. ii, n. 2; Leander, *De voto*, tract. 1, disp. 16, § 2, quæst. 8; Layman, lib. iv, tract. 4, cap. 7, nu. 8, cum aliis ibi citatis; La Croix, lib. iii, part. 1, num. 484, et ipso teste alii communiter. Et ratio est, quia Papa non habet potestatem dominativam in omnes Christianos, cum hæc non sit ei necessaria ad Ecclesiæ catholicæ gubernationem, sed ei sufficit potestas suprema jurisdictionis, media qua pro exigentia Ecclesiæ regiminis

potest vota fidelium dispensare, vel commutare, seu eorum executionem impedire per potestatem præceptivam, aut saltem valorem votorum impedire antequam fiant, alioquin nullus homo posset se obligare alteri homini, nisi sub conditione: *si Papa consenserit*, quod non est dicendum; unde Papa potest solum ipsa vota Christianorum irritare indirecte ratione materiæ, ut infra dicitur.

(35. Neque Papa potest directe irritare vota clericorum sæcularium, quia neque in illos habet potestatem dominativam, sed solum indirecte, quatenus Ecclesiæ bono, cujus ille supremam jurisdictionem habet, ac curam gerit, præjudicium afferre possunt, uti infra patebit. *Communis.*

(36. Potest tamen Papa directe irritare vota religiosorum et monialium. *Communis.* Et ratio est, quia Papa est omnium caput, et regularium omnium etiam prælatorum generalis, ac supremus prælatus, et superior, cui principaliter religiosæ obedientiæ professio concipitur, et nomine, ac concessione illius a superioribus regularibus acceptatur, adeoque cum sic potestatem dominativam habeat in omnes religiosos, poterit directe eorum vota irritare.

(37. Vota indirecte irritare possunt omnes, qui ipsa possunt irritare directe. *Communis*; cui enim licet quod est plus, licet utique quod est minus, textu expresso in c. *Cui licet* 53, De regul. jur. in 6, et plus semper in se continet, quod est minus, cap. *Plus* 35, De regul. juris in 6, l. *In eo quod plus* 110, ff. *De reg. juris*. Et ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur, textu expresso in cap. *Ex parte* 27, De decimis.

(38. Unde Papa potest irritare indirecte, nedum vota religiosorum, et monialium, et clericorum sæcularium circa res ecclesiasticas, et circa concernentia ad illas, sed etiam vota aliorum omnium Christianorum ratione materiæ, quatenus potest per potestatem præceptivam votorum executionem impedire in quantum Ecclesiæ bono, cujus ille supremam habet jurisdictionem, et curam gerit, præjudicium afferre possunt. *Communis.*

(39. Episcopi, alique ecclesiastici prælati possunt indirecte irritare vota suorum subditorum, quando materia illis præjudicat in eorum regimine, gubernatione, et administratione. *Communis.*

(40. Superiores et superiorissæ regulares possunt indirecte irritare vota simplicia religiosorum, et religiosarum præjudicantia suæ jurisdictioni, regimini ac disciplinæ regulari. *Communis.* (41. Imo nedum religiosorum professorum, sed etiam novitiorum vota indirecte irritare possunt in iis, quæ eorum gubernationi, et exercitiis probationis, seu novitatus adversantur. *Communis.*

(42. Pater indirecte irritare potest vota filiorum puberum etiam post pubertatem emissa, quatenus præjudicant liberæ patris potestati in libera et expedita familiæ,

rerumque suarum administratione. Non sic autem vota filiorum puberum, quæ potestati et gubernationi paternæ non præjudicant ullo modo, quamvis dicti filii puberes sint adhuc sub patria potestate. Unde licet pater possit irritare vota filiorum de longis peregrinationibus, de multis jejuniis, de dando eleemosynam ex bonis paternis, etc., ex quibus oriri potest præjudicium paternæ potestati in familiæ regimine, et rerum suarum administratione; non tamen irritare potest filiorum puberum vota religionis, castitatis, sacrorum ordinum, confessionis, et communis menstruæ, nec vota de dando eleemosynam de suis bonis castrensibus, ac quasi castrensibus, si quæ habeant. *Communis.*

(43. In defectu patris potest vota filiorum puberum indirecte irritare curator: curator enim loco patris succedit; unde potest vota minoremniū concernentia bona temporalia, vel præjudicantia administrationi suæ irritare. *Communis.*

(44. In defectu patris, vel curatoris potest vota filiorum puberum indirecte irritare mater, quamvis ipsa non institueretur curatrix, quia in defectu patris, curatoris, ac ascendentium, ad matrem ipso jure naturæ hæc cura spectat, ut filios loco patris ac curatoris gubernet, adeoque ipsa, sicuti curator, indirecte irritare poterit vota realia filiorum puberum suæ gubernationi præjudicantia; Tambur., lib. iii, cap. 16, § 3, r. m. 23; Henno, tom. 1, disp. 2 in *Decalog.*, q. 3, art. 4, concl. 2, resol. 8; Sporer, *loc. cit.*, num. 24; Busemb., *loc. cit.*, art. 2, n. 1, et alii contra alios volentes non improbabiler non posse matrem indirecte irritare vota filiorum puberum, nisi instituta sit eorum curatrix; unde recte ait Henno, *loc. cit.*, quod mater tutius ageret, si tunc postularet a iudice designari filiorum puberum curatrix. Atque hæc quidem sententia in praxi est sequenda.*

(45. Maritus potest indirecte irritare uxoris vota, quæ ratione materiæ præjudicant familiæ, proli, debito conjugali, aut rei domesticæ: *Communis* ac certa, arg. cap. *Si dicat* 1, cap. *Mulier* 3, cap. *Quod Deo* 4, caus. 33, q. 5, cum similibus. Et ratio est, quia mulier subjecta est potestati mariti in debito conjugali; sicuti etiam in iis, quæ rectam familiæ gubernationem, et rei domesticæ administrationem concernunt, juxta illud ad *Ephesios* v, ibi: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino*; et concordat cap. *Mulierum* 17, et cap. *Adam* 18, caus. 33, qu. 5, cum similibus. (46. Dummodo tamen talia vota fuerint ab uxore tempore matrimonii emissa, quia vota ante illud edita potest quidem maritus suspendere, si rectæ familiæ gubernationi, ac rei domesticæ administrationi præjudicent, non tamen penitus irritare. *Communis.* (47. Item nec potest maritus irritare vota illa ab uxore etiam tempore matrimonii edita, quæ supradictis nullum præjudicium afferunt, ut sunt vota non ludendi, sacramenta frequentandi, moderate jejunandi, eleemosynas de

bonis paraphernalibus faciendi, etc. *Communis.* Vide verb. *MARITUS*, numer. 3, 4 et 5.

(48. Uxor potest indirecte irritare vota sui mariti juri matrimoniali, et mutue cohabitationi præjudicialia, v. g. abstinentiam immoderatam, preces continuas, longam peregrinationem; nisi tamen esset peregrinatio Hierosolymitana in subsidium Terræ Sanctæ, quæ expresse excipitur in cap. *Ex multa* 9, De voto. Item uxor potest irritare votum mariti de suscipiendo habitu eremite, seu tertii ordinis alicujus religionis, et hujusmodi, quia illa, et similia impediunt, vel retrahunt uxorem a debiti petitione. *Communis.* Et ratio est, quia uxor in his potestatem habet in maritum, juxta illud Apost. *I Cor.* vii, ibi: *Vir potestatem sui corporis non habet, sed uxor.*

(49. Si maritus et uxor ex mutuo consensu emittant votum continentiæ, non potest amplius nec mutua, nec alterius conjugis contradictione irritari. *Communis*, per clarum textum in cap. *Quod Deo* 4, caus. 33, qu. 5, ubi ex verbis S. Augustini sic expresse habetur: « Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter usque in finem reddere debuistis, a quo proposito, si ille lapsus est, tu saltem instantissime persevera ». Et ratio est, quia sic uterque in ordine ad debiti petitionem, aut redditionem jure suo cessit, cui juri uterque potuit libere cedere, cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare, textu espresso in cap. *Si de terra* 6, De privileg., et l. *Si quis in conscribendo* 29, c. *De pactis*. Unde in tali casu solum per legitimam superioris dispensationem ad debiti petitionem et redditionem restitui possunt in casu urgentis necessitatis.

(50. Domini irritare possunt indirecte solum illa servorum vota, quæ præjudicant obligationi servitutis, et famulatus, ac juri, quod in ipsos servos domini habent; non autem illa, quæ nullatenus eorum obsequio, famulatu, aut juri officiant, uti sunt vota servandi castitatem, frequentandi sacramenta, eleemosynas de proprio peculio faciendi, et hujusmodi. *Communis.* Et ratio est, quia præcise in rebus servitium, ac obsequium concernentibus, domini et dominiæ dominantur servis et ancillis. (51. Vota servorum edita ante servitutem, seu implebilis post servitutem, suspenduntur quidem durante servitute, at finita servitute sine dubio convalescunt, et servanda sunt; unde a dominis irritari non possunt. *Communis.*

(52. Ad voti irrationem validam nulla requiritur causa, ad licitam autem aliqua justa causa requiritur. *Communis.* Et ratio primæ partis est, quia in voto inferioris intelligitur semper tacita conditio *si superior consenserit*; unde ubi ille dissentit, votum evanescit. Ratio vero secundæ partis conclusionis est, quia unusquisque tenetur uti potestate sibi concessa ad Dei gloriam; Dei autem gloria postulat, ut votum non